

tus Tul-
benfis a
Cl. Schan-
nato ig-
noratur.
*lium conventus in Tulba publice recognoscimus etc. Ut autem hac salubris
ordinatio simulque nostra pollicitatio a nobis ac nostris sequacibus per succes-
sum temporis irrefragabiliter observentur perpetim, presentes communi si-
gillo nostri conventus firmiter communiri duximus cum testibus infra scri-
ptis; videlicet Frater Rupertus, Frater Hartmudus de Ride, Henricus Ma-
gister Pistrinae, Henricus Magister Hospitum, Conradus Cellerarius, Her-
manus Butener, Frater Hart Camerarius, Scultetus dictus Umbereit, Fra-
ter Henricus Phenter, Rupo et ceteri fide digni. Actum anno Domini
MCCXCIX. indie Beatorum Apostolorum Philippi et Jacobi, Indictione XII.
existente. Rupertus itaque Praepositus inter Erphonem et Conradum inter-
calandus est.*

Monaste-
rium
Wang-
heimen-
se Diocce-
sis Wirce-
burgensis.
LVI. *Monasterium Wangheimense* post Tulbam prodit; sed in
Trad. Fuld. LXXXII. tantum *Ecclesia et Monasteriolum in Vuangheimero-*
marcu nominatur. Schannatus refert, *Julianam Abbatissam* illud anno
788. de consensu fratrum suorum Mantonis et Megingozi Comitum *cum*
omni proprietate sua Ecclesiae Fuldensi tradidisse. Si vero Chartam legas,
Manto et Othelm eam fieri rogaverunt, et quidem nomine Julianae. Ju-
liana tamen non Wangheimensis, ut vult Schannatus, sed Schwarzacensis
Abbatissa fuisse videtur: Monasteriolum enim sine Abbatissa esse poterat;
at Schwarzacense Monasterium illustre erat, quippe cujus Abbatissa mox
Theodrada Caroli M. filia facta est. Et hoc a patre Mantonis jam institu-
tum fuisse pro filia verosimile est, a quo deinde non procul Megingozus sive
Megingaudus Comes Monasterium virorum Schwarzacense construxit.
Sed haec sunt alterius loci. *Wangheim* hodie *Wenckheim* dicitur, cujus
nominis *duo* vici sunt, Neustadlum fere ad Salam et Lauringam inter, *Minoris*
et *Majoris* agnomine distincti. In *Minori Wenckheim* Ecclesiam et Mo-
nasteriolum illud fuisse, Charta Ottonis Comitis de Botenlobe a Cl. Schan-
nato citata indicat, qua Praedium in *Minori Wengheim* anno 1219. Coeno-
bio Bilthufensi donat de consensu et expressa voluntate Cunonis Abbatis Ful-
densis, a quo idem Comes illud eatenus possederat in feudum. Hinc con-
cludas, *Monasteriolum Wangheimense*, fundato Monasterio Virginum
Schwarzacensi, Fuldensibus donatum et in praedium commutatum esse.
Jacebat olim, ut ipse Cl. Schannatus agnoscit, in pago Grapfeld orientali,
qui ad Diocesim Wirceburgensem certissime pertinebat. Dicunt donato-
res se tradituros *illam Ecclesiam et Monasteriolum constructum cum illis sanc-*
torum Reliquiis et cum omni proprietate, id est, tam terris, sylvis, campis,
pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, aedificiis, domibus, aralis,
coloniis qualiter et quomodo hereditatum a parentibus et a se elaboratum aut
exquisitum sit, cum mancipiis utriusque sexus, mobilibus et immobilibus,
quidquid dici aut nominari queat. Non autem hereditaverant, elaborarant
aut exquisiverant jura Episcopalia et decimas Episcopo Diocesano debitas:
Ergo haec Monasterio Fuldensi tradere non potuerunt. Nec decimas ibi
accepit Ratgarius Abbas, cum anno 815. conventionem de decimis cum
Wolfgario Episcopo faceret. Unde manifestum est, Ecclesiam et Mona-
steriolum Wanghemense traditum Fuldensibus, non desisse immediate et
pleno jure subesse Episcopis Wirceburgensibus, hoc vero titulo Fuldensi-
bus nunquam subfuisse. Punicem igitur assumat Cl. Schannatus, et Wang-
heimum e tabulis suis Hierarchicis etiam deleat, velim.

Monaste-
rium Zel-
lingense
LVII. *Zellingam*, Parthenonemque ibi jam anno 838. constitutum
in me-